

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

VINI POTUS MODERANDUS, VELUT SANGUINIS.

I. Bibis sanguinem terræ. — II. Bibis sanguinem patrum. — III. Bibis sæpe sanguinem proximi. — IV. Bibis quandoque sanguinem tuorum. — V. Bibis proprium sanguinem.

## THEMA.

*Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.*

Joan. II.

Quæ tandem causa esse debet, cur Deus hominibus vinum non mox e creatis vitibus, sed serius multo post diluvium primum concesserit? Non permisit inveniri, confici et bibi, nisi post annos 1637. demum a mundo condito, per industriam Noe. In hodierno etiam evangelio non nisi ad finem convivii, nec nisi ad matris preces vinum Christus suppeditavit. Quæ hujus moræ causa? Nimirum vidit vinum esse quemdam *varum sanguinem*, quo nomine appellatur fere semper in ss. litteris, uti Gen. XLIX. Deut. XXXII. et alibi crebro. (Unde etiam colligitur, quod et historici testantur in Judæa omne vinum fuisse rubrum.) Vidit etiam Dominus, quam severe prohibuerit in veteri lege potum et esum sanguinis, etiam pcedum alioquin mundarum, uti Gen. IX. *Carnem cum sanguine non comedetis*: et Levit. XVII. *Homo quilibet de domo Israel et de advenis si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo.* Jam ergo si Deus voluit, ut Hebræi adeo caute vitarent sanguinis esum, quo nimirum a sanguinis humani effusione, quam maxime abhorrent, quid mirum si vini potum quod speciem et nomen habebat sanguinis tarde eis indulsit? Neque vero idcirco vini usum interdiceret voluit, sed abusum tantum, quem prævidit forte hominibus admodum communem. Ergo quisquis vinum intemperanter bibis, memento te sanguinem bibere. Qua vero ratione, audi.

I. Scito te cum vinum bibis, bibere sanguinem terræ. Sic enim expressis verbis dixit et suasit cogitandum Androcles vir sapiens Alexandro Magno vinolento: *Vinum potaturus rex, memento te sanguinem terræ bibere*, teste Plutarch. quasi

diceret: Nobilissimum terræ humorem ac fructum magno Dei beneficio et naturæ operatione homini provisum ac comparatum. Ut enim sanguis humanus a cibo et potu varie preparato, masticato, digesto gignitur in hepate, et inde in totum corpus dividitur: ita vinum e pluviis de nube expressis et distillantibus in terram ibique a vite quasi ab hepate haustis et digestis progignitur non absque solis cooperatione et hominum labore indeque dividitur in genus humanum ad vires, solatium et lætitiā tribuendum. Vide quod creaturæ collaborent in conficiendo vino. Sanguinis ergo loco haberi velut pretiosissimus liquor debet, et parce cum gratitudine accipi. Ita suasit filio suo Salomoni, jam licet regi Bethsabea, Prov. XXXI. *Cum consilio bibe vinum*, uti legunt Septuaginta int. ubi nos: *Noli regibus dare vinum*, id est, noli bibere vinum rex, intellige, sine consilio et modo. Regibus igitur hoc præcipitur, cur non potius vulgo? Rudis enim plebs vini pretium non cogitat, ideo communiter magis quam principes vino se ingurgitat. Taxavit hanc vini profusionem in conviviis suis, urbis optimatibus, quidam Gallicus regulus, apud Æn. Sylvium, lib. I. Panormit. « Convivium illi cum optimatibus suis fuit apparatus in horto, æstate media, sub opaca ulmo, circa quam provolitant muscarum agmina in dapes ac vina provolvebantur. Convivæ, quibus animantis fœditas stomachum moveret, mox ut musca in poculum cecidit, vinum simul atque animal effudere. Ægre id cernere princeps, jacturamque vini tacitus indignari. Nam queri palam inter magnos, qui aderant proceres, non est ausus. Sed quos arguere verbo veritus est, exemplo admonuit. Puerum, qui se coram flabello muscas abigebat, ventulumque faciebat, cessare paululum jubet. Interea et in craterem suum grandior musca incidit, tum lætus princeps duobus digitis dextram alitis alam apprehendit, et aliquamdiu craterem supra excutens, ne quid vini secum deferret, in terram projecit, exemplum convivæ omnes secuti, » nec in posterum tam temere et prodige vinum effuderunt, utpote terræ sanguinem.

II. Scito te bibere sanguinem pauperum. Primo, subditorum, qui in excolendis vineis laborant usque ad sudorem et fere usque ad sanguinem.

Secundus quid II. Reg. XXIII. David egerit dixeritque, quando sitiendi aquam de cisternâ Bethlehæm, cæteris utique meliorem adeoque desideratam, tres ejus milites per hostium castra præsentissimo vitæ suæ periculo et forte non sine vulneribus irrumpentes attulerunt. Noluit enim bibere, sed effudit et libavit eam Domino dicens: *Propitius sit mihi Dominus ne faciam hoc; num sanguinem istorum et periculum animarum bibam?* Cogitavit enim quasi pœnitens de sua concupiscentia, non esse æquum ut bibat aquam tanta difficultate et periculo trium virorum paratam. Quid vero viticolarum sudor? Nonne eorum sanguis? Quam multi agricolæ et viticulæ continuo laborant, ut vel unius helluonis gulam exsatiarent? Quot labores perrumpunt? Quot suspiria fundunt? Quoties ipsam vitam impendunt?

Secundo, pauperum aliorum, quibus debetur superfluum, quod tu bibis. Ita enim S. Bernard. in epist. XLII. ad archiepiscop. Senonen. ait pauperes clamare: *Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* Quot enim pauperes pasci, quot ægri refocillari, quot captivi recreari possent eo vino, quod tu profundis inutiliter, et cum damno tuo? In recentibus Anglicanorum martyrum historiis quidam in carcere pro fide catholica captivus tanta siti premebatur, ut per fenestellæ clathra pileo cavaque manu pluvie stillas captalet, id refert Nic. Serarius, in c. XV. Judith: et dum hujusmodi miseri pluviam de cælo mendicant, tu absque siti potes, et vino te proluas? Cur implentur nubes aquis, nisi ut agros et vineas nostras rigent? Unde Ecclesiastes, c. XI. ait: *Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* Nubes vino impleverunt cellarium tuum, ut in pauperes se effundat. Accedit quod Bethsabea filium Salomonem monet, ut vino abstineat, quia vinolenti sæpe causas pauperum pervertunt; ita enim ait: *Noli regibus dare vinum, ne forte mutant causam filiorum pauperis*, Prov. XXXI. Quod si contingeret, nemo inficias ibit, aliud id non fore, quam pauperum sanguinem bibere.

III. Quid si etiam sanguinem proximi tui bibas? Facile id contingere potest, et sæpissime contingit, quia vinum immoderatum inflammat ad iracundiam, et provocat ad rixas, denique ad cædes. Docet hoc quotidiana experientia, comotationes scilicet et symposia desinere in cædes et sanguinem. Hinc vinum a vi dictum secundum Varronem, et Baccho cornua appicta a gentilibus, quia vinolenti fiunt furiosi, et vini flammam sanguine volunt extinguere. Hinc etiam in nostra lingua potare et pugnare unica littera differunt. Sic denique testatur Eccles. cap. XXXI.

*Vinum multum potatum irrationem et iram, et ruinas multas facit*: et Sapiens, Prov. XXIII. *Cui iræ? Cuius patri væ, cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus potandis?* Ubi S. Chrysost. a Cornelio in eum locum citatus: *Sicut oleum, inquit, lucernam, sic vinum iram inflammat, velut convenienti nomine appellentur pocula amicitiae.* Vino sanciant fraternitates, et eo ipso incitantur ad odia, inimicitias et pugnas. Pulchra amicitiae pocula. Exempla in promptu sunt. Alexander M. Clytium sibi amicissimum ad poma Græca visenda et convivium vocatum, ubi mero incaluit, levicula de causa hasta confodit: unde post decoctam crapulam ita doluit, ut seipsum interficere vellet, Trebel. Pollione auctore. Nudiustertius spectastis juvenem, qui e potu nimio vino ebrius occidit innocentem capite truncatum in hac Græcensi civitate. Sed cur putatis gladium carnificis aberrantem in os rei intrasse idque medium disseccuisse? Nimirum quia ab ore bibulo et comotatione homicidium illud originem sumpsit, in ore ejus punitum fuit. Quare sicut Mario tyranno, prius ensium fabro, miles, qui in arte fabrilis ei deservierat, confodiens eum dixit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti*; sic videtur justus Deus huic homicidæ voluisse dicere pro instructione nostra: *Hic est gladius ori tuo immersus, quem ore tuo ipse fecisti.* Huc etiam spectat, quod S. Aug. serm. XXXIII. ad fratres in eremo scribit: « Accidit hodie, (inquit,) terribilis casus, ut omnes audistis, propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam feminas et infantes congregari præcepi. Ecce præclarissimus civis noster et fere dilectus ab omnibus, Cyrillus filium habebat, ut scitis, ecce hodie ebrietatem perpressus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit et duas sorores vulneravit ad mortem. » Hocine non est una cum epoto vino sanguinem proximorum bibere? Bene S. Ambros. de eleemosyna et jejuniis, c. XII. *De ebrietate*, inquit, *ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt, pro vino sanguis effunditur, et ipsum sanguinem vina fuderunt.*

IV. Vide etiam ne bibas sanguinem domesticorum, propriorumque liberorum tuorum, et contingat tibi, quod hostibus Ecclesie eventurum prædicat Isaias, c. XLIX. *Quasi musto, sanguine suo inebriabuntur*, hoc est, occident seipsos mutuis cædibus et bibent sanguinem fratrum et filiorum suorum; quod fit, quando nimia ingurgitatione dilapidantur res domesticæ, ut conjux et liberi fame perire cogantur vel desperare. Bene igitur S. Chrysost. hom. LIV. ad pop. Antioch. comparat ebrietatem hosti, urbem obses-

nam invadenti, et perruptis portis ac muris irumpenti, qui obvios quosque sternit, omnia tumultibus implet, omnia diripit, et sanguine fuso spargit. Sic enim et vinum nimia vi et ingurgitatione corpori infusum furias accendit et invadit, ipsummet imprimis potatorem, qui deinde domum reversus invadit uxorem et liberos, tonat, fulminat, cædit, vulnerat, omnemque domum tumultu replet: interim etiam peculium suis exhaurit sæpe, ut miseri nihil jam quod rodant, habeant. « Sicut hostibus urbem subeuntibus, (inquit Chrys. cit. hom.) et obsidione facta, et perturbatione multus efficitur tumultus, ita fit et in anima, subrepente vino cum deliciis. Vidimus alibi ebriosum, qui potu absumentis rem domesticam internecionem toti domui suæ inlulit. »

V. Scito te etiam proprium sanguinem bibere, et crebris ac nimis potationibus tibi ipsi vitam abrumpere, quia verissimum id Ecclesiast. XXXVIII. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinentes est, adjiciet vitam.* Quid non faciunt aliqui, nudius tertius quidam epilepticus sanguinem decollati homicidæ, de quo supra diximus, in morbi sui remedium, quam id horrendum est? At tu vinum hauriendo sanguinem proprium [vita enim in sanguine conservatur] exhauris, quam hoc immane est? Quæ enim bestia reperitur, quæ seipsam voret? S. Chrysostomus, homil. de ingluvie et ebrietate ait: « Hinc vel maxime stupescat quis amentiam eorum, qui ebriatati addicti sunt, quod ne tantum quidem isti sibi ipsis parcere volunt, quantum alii parcunt utriusque. Nam hos quidem vini venditores non paliuntur plus æquo capere, ut non rumpantur, isti vero miserum ventrem ne hac quidem provisione dignantur, sed cum eum impleverint ac diruperint, usque ad aures, usque ad nares, usque ad fauces ipsas replent omnia per angustum meatum spiritus, quæ vis animal gubernat, inde comparantes. » Et mox: « Neque enim ita vis rapidorum fluminum ripas excedere et subruere solet, ut luxuriæ deliciæque omnes sanitatis nostræ munitiones facile subvertunt. » Ergo ut rapidum flumen vorat et haurit ipsas suas: ita bibulus vires, carnem et sanguinem suum.

Quando igitur vidimus vinum intemperanter potatum, re bene considerata, aliud non esse nisi sanguinis potum, qui jam quæso non cavebit sibi ab hujusmodi intemperantia? Sane Hunni jure merito abominandi fuerunt Germanis, quando Germaniam depopulati, carnibus humanis vesci et sanguinem bibere visi sunt, teste Luitprando. Quidni etiam abominandi erunt qui in vino sanguinem non terræ solum, sed etiam

hominum bibunt? Horreamus ergo et dicamus cum Davide: *Propitius sit mihi Dominus et non faciam hoc. Num sanguinem terræ bibam?* Num sanguinem pauperum? Proximi? Filiorum? Proprium? Absit: siti potius peribo. Liba vinum Domino, pauperibus, ægris, captivis, quod si occasio non ferat, effunde in terram potius, præstat enim ut pereat, quam ut te perdat.

## CONCIO II.

QUOMODO VINUM LÆTIFICET DEUM ET HOMINES.

I. Quando eo abstinemus ex voto, mortificatione vel obedientia. — II. Quando vinolentiæ strenue resisimus contra incentores. — III. Quando id dissuademus vinolentis, vel eos corrigimus. — IV. Cum id pauperibus aut merentibus elargimur. — V. Quando id moderate ad conservandam valetudinem bibimus. — VI. Cum ad exhilarandum etiam animum temperate bibitur, præsertim si simul adjungatur, Dei laus et gratiarum actio.

## THEMA.

*Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.*  
Joan. II.

Solebant antiqui in nuptialibus maxime convivii proponere ænigmata aut doctas alias quæstiones ad recreandos convivarum animos, non tantum ethnici, teste Athenæo, l. X. c. XVII. Gellio, l. XVIII. cap. II. sed etiam Hebræi. Ex his Samson in convivio suo nuptiali proposuit Philisthæis ænigma hoc: *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo, Judicum XV.* Proponamus etiam nos in gratiam hodie nuptiarum jucundum aliquod problema. Recensetur Jud. IX. apologus a Jonathan, fratre Abimelechi, de lignis, (sub typo Hebræorum) quæ iverunt ut ungerent sibi regem. Venerunt ergo ad vitem, et dixerunt ei: *Veni et impera nobis.* Quæ respondit eis: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines?* Quid audimus auditores? Itane vinum lætificat etiam Deum? Quid mirum, si ex vino lætificantur homines, quando Deus etiam a vino lætitiæ accipit? Ergo bibamus strenue, dicent forsitan aliqui; homines enim sumus (non anseres quibus aqua tantum creata est) ad imaginem Dei facti. Ergo una cum ipso lætitiæ a vino hauriamus. Verum isti audiant, quod ait apostolus, II. Corint. V. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Præterquam quod sententia illa non est Spiritus sancti, sed privati hominis. Potest tamen ea sensu mystico varie approbari, ut verissima, uti audiemus.

I. Lætificat Deum, quando eo abstinemus ex voto, vel mortificationis studio, aut ex obedientia.

Prima ex causa abstinuerunt vino olim Nazaræi, de quibus Num. VI. agitur, ii veræ duplices erant: alii contemplantes, qui ut legi et meditationi rerum divinarum liberius vacarent, vino abstinabant: alii pœnitentes, ut qui prius profusus vino et deliciis usi fuissent, post ea abstinere, ad castigandum corpus. Utrique vel ad tempus libitum, uti Paulus, Actorum XVIII. et XXI. vel in perpetuum, uti Samson, Judicum XII. Possent etiam hoc modo ac debere merito lætificare Deum vino, qui ubi semel graviter excesserunt, ejus potu deinceps abstinere quasi ex voto, saltem ad tempus pro pœnitentia. Id certe monet S. Augustinus, serm. III. de nativitate: *Si quis, inquit, vino nimium est deditus, sobrietatem vocat. Sic offertis Deo votum placitum, et quasi remuneratis Christum.* Si enim Judæi non comederunt amplius nervum; ex quo eorum pater Jacob in nervo læsus fuit, Gen. XXXII. si sacerdotes Dagon non calcarunt amplius limen templi, ex quo tempore eorum Dagon fregit in eo caput et manus, I. Reg. V. nonne æquum erit, ut etiam ii, qui a vino graviter læsi sunt, vino deinceps abstinere? Et qui in tabernis caput vino gravarunt ac tantum non ruperunt, posthac earum limina non terant? Gaudium hoc foret Deo et angelis, qui super uno peccatore pœnitentiam agente jubilat in celo. Ex secunda causa Sanctus Jacobus minor vino abstinuit, Euseb. l. II. hist. c. XXII. ut et S. Joannes Baptista. Et tertia Rechabite, Jerem. XXXV. qui sola institutione et hortatu patris Jonabad, vino perpetuum valedixerunt. Idque placitum fuisse Deo patet ex eo, quod meriti sint audire ab eo: *Non deficiet vir de stirpe Jonadab, filii Rechab statis in conspectu meo cunctis diebus, quibus verbis eis promittitur stirps non extinguenda, et singulari Dei protectione fovenda.*

II. Quando vinolentiæ et ebrietati contra invitatores strenue resistimus. Et primo, cum effundimus potius ac perdimus, quam ut nos inebriemus. Cujus exemplum præbet vel ethnicus ille Diogenes, qui cum in convivio quodam multum vini domo accepisset, id effudit. Indignantibus aliis, respondit: *Si vinum hoc omne biberem, non tam vinum quam meipsum perderem,* Stob. auct. Paradoxum quidem est hoc, sed rationi consentaneum: *Præstat ut pereat, quam ut perdat.* In veteri lege sacrificium consummabatur effusione vini super altare in odorem divinum suavitatis, ut habetur Numer. XXVIII. vers. XIV. et Eccles. l. 7. XV. XVI. XVII. Erit ergo talis effusio divinus

et suavissimus Deo odor et sacrificium consummatum ac gratissimum. Sane cum in mensa vinum evertitur, et sericas vestes inquinat, non dolemus de vino effuso, sed de vestibus solum vino perfusis indeque maculam contracturis. At cur non potius de inquinata anima labepœccati, et corpore vitiatò dolemus?

Secundo, quando vinum, ne obsit, aqua diluimus. Præstat enim corrumpere vinum quam animum. S. Radbodus Ultrajectensis episcopus cæteris convivis vinum, sibi in vase de onyche, auro ornato, aquam apponere solebat. Quod advertens quidam sæcularis ex eo bibere petiit. Sed non permissus, clam vi arripuit, videns id vir sanctus suspiravit, ad hoc suspirium, aquam ille in vinum mutatum reperit, Sur. 29. novemb. in vita. Lætificavit ergo Deum hoc vinum, factum ex aqua ad tuendam humilitatem.

Tertio, quando variis artibus et modis pocula grandia recusamus; velut ille, qui ad immodicos haustus stimulatus, se excusans dixit, pecuniam sibi non esse, quam det medico, si ex potu infirmus fiat: ea sibi ad alia opus esse. Alius, qui se a bestia parum abesse dixit timere se poculum Circes, ne omnino brutum fiat. Alius, se metuere ne a cane pudefiat, qui satur jam quiescit, nec cibum requirit, apud Serar. in Judith, c. XV. Placere Deo hoc certamen non est dubium. Sicut enim S. Antonio pugnanti contra dæmonem se tentantem accedentem, adfuit dicens: *Antoni hic eram, sed expectabam videre certamen tuum:* ita aderit etiam illis, qui contra hujusmodi tentatores strenue pugnaverint eorumque certamine delectabuntur.

III. Quando id dissuademus vel subtrahimus iis, quibus nocet, vel quando corrigimus eos, qui eo abutuntur. Huc pertinet Bethsabee, quæ dum filio Salomoni vinum dissuadet, Proverb. XXXI. *Noli, o Lamuel (Lamuel exponunt cum quo, vel cui est Deus: dat ergo filio mater hic peculiare hoc nomen, ut indicet Filium Deo singulariter placiturum, et Deum illi adfuturum, si a vino sibi temperet) noli regibus dare vinum,* hoc est, noli bibere vinum rex factus; haud dubie Deum lætificavit: quemadmodum et decrepita illa, quæ S. Monica teneris prohibuit extra mensam bibere vinum, imo et aquam; ne adulta fieret meribibula, necnon ancilla, quæ eandem jam puellari ætate cum vidisset furtim vinum bibere, in contentione appellavit *meribibulam.* Unde rubore suffusa puella deinceps sedulo cavit vini potum, Augustin. l. IX. confess. c. VIII. Alphonsus Aragoniæ, vino vix aut dilutissimo utens traxit in eandem consuetudinem plerosque aulicos, Pa-norm. l. II. Quis dubitat etiam hoc placuisse Deo?

IV. Cum id pauperibus et merentibus elargimur, juxta id Proverb. XXXI. *Date siceram merentibus et vinum his, qui amaro sunt corde, bibant et obliviscantur egestatis suae* (Chal. *destritarum vestium*) et doloris sui. Ad hoc enim Deus post diluvium docuit Noen invenire vinum, ut ejus et filiorum, ob inductum mundi diluvium et rerum omnium exterminium, conceptum merorem hilaritate vini temperaret, ut vult S. Chrysost. hom. XXIX. in Genes. Pari ergo ratione justum est ut divites pauperum et ægrorum merorem et languorem vini hilaritate atque efficacia abstergant. Ita Christus vino pauperem sponsum lætificavit, et a confusione liberavit. Quod si calix aquæ frigidæ datus pauperi mercedem habet, Matthæi X. quanto magis vini? Unde Augustinus, serm. XXIII. ait: *Quod in ebrietate periturum erat, in pauperum refectorem proficiat*. Quam multos ægros et captivos lætificare potes vino tuo? Quando sitiendi terræ nubes imbrem infundunt, tota terra lætificatur. Pari modo pauperes recreare potest, ut miseriarum suarum obliviscantur qui vino eos solari voluerit. Et hoc meo judicio insinuavit etiam Deus, Num. XXVIII. cum in fine sacrificii jussit pedem altaris vino profundi. Altare enim Christum, pedes ejus pauperes significant. Hi ergo si vino, quod in fine mensæ superest, sitibundi perfunderentur, Deus utique lætificaretur; id quod sæpe ostendit, miraculose refundendo vinum pauperibus erogatum. Sancta Francisca Pontiana, cum ejus socer vas præstantioris vini sibi in cellam reponi jussisset, illa id paulatim pauperibus distribuit. Inventum ab illo vacuum, et nurus objurgata quemadmodum et a marito Laurentio. Sed ipsa ad cellam reversa et genu flexa orat Dominum ut non jam aquam, ut olim in Cana, sed aerem dolii velit in vinum mutari, ne in posterum prohibeatur ab elemosynis. Moxque impetravit ut vas illud nobiliori longe vino repleretur. Ita Ursinus in ejus vita.

S. Homobonus: « Cum prædiolum cæteris divenditis et in egenos erogatis, sibi, pauperibusque servasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrere ei mendici aliquot ab eo petentes: quibus vir sanctus summam cum animi hilaritate et frontis lætitia porrexit. Sed cum exhausti fere essent canthari, nec propter uxoris acerbitatem auderet domum reverti, eos aqua replevit ac benedixit. Vinitores autem se nihil unquam suavius gustasse asserentes, quærebant, unde tam bonum vinum habuisset? Vir Dei, qui optime sciret, quid fecisset, arbitratus se derideri, bibit et ipse incomparabilis bonitatis vinum; gratiasque Deo, cujus esset illud opus, maximas egit: nec tamen, vitandæ ina-

nis gloriæ causa, imprudentium hominum omnem recte factorum mercedem furim prædatur, quod factum fuerat, cuiquam dicebat, nec exire, atque in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant, dum aquam in vasa infunderet, cum et ipsi vinum gustassent, hoc miraculum cæteris prædicaverunt. » Ita in ejus vita, apud Sur. 19. novem.

V. Quando debili stomacho præditi ad conservandam veletudinem et vires roborandas modicum potamus, id quod suavit S. Paulus Timotheo: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes infirmitates tuas*, I. Tim. V. Quia nimirum, ut ait S. Ambros. *Vult Deus prudenter sibi serviri, ne nimietate* (laboris vel abstinentiæ) *debiles efficiamur, et postea medicorum suffragia requiramus*. Cæterum ad necessitatem, non ad voluptatem id concedit Paulus, unde ait: *Uttere, non frueri, eoque modico*. Pulchre S. Greg. XX. moral. c. XXI. « Pensandum est, inquit, quod chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat. Sic virtus abstinentia aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomet, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet. » Sed quid ad hæc Lutherus? Pulchre ex illa Pauli concessione argumentatur: Apostolus modicum vini, puta cyathos aliquot præscripsit Timotheo velut infirmo, qui plus vini non ferebat: nobis vero utpote sanis et stomacho valentibus multo utendum est; puta non cyathis, sed amphoris. At bone vir, Timotheus cum sanus esset, aquam bibit, utique apostolo probante ac nisi infirmus factus esset, vinum ei suavit non esset. Sed talem prophetam talis glossa decebat. Nisi ergo corpori aliquid subtrahamus, nullum gratum Deo sonum edet: si plus æquo subtraheremus, corpus rumperemus: mediocriter ergo tensa chorda Deum lætificabimus. Porro immodicum ægros extinguit, quod inter alios plurimos contigit Henrico Lusitano, cui febricanti Romæ suadet Christoph. Fischerus, ut ne medicum audiret, sed bonum potius vinum biberet, simulque jussit adferre pinum Creticum quadrimum, propinavitque ægro, jubens esse bono animo. Verum ut ille persuasus hausit, mox intercluso spiritu cœpit animam agere, Eras. in adag.

VI. Denique, cum ad exhilarandum etiam animum moderate potatur. Ad hunc enim finem etiam a Deo est creatum, ut de Noe dixi, eoque spectat id Eccles. c. XXXI. *Exultatio animæ, et cordis, vinum moderate sumptum*. Optime Athenæus, l. I. c. XXI. sic aliquando Socratem dixisse refert: « Videntur mihi virorum corpora pati,

## CONCIO III.

QUAM STULTE ELIGANT MUNDI SECTATORES VINUM BONUM IN HAC VITA, ET IN ALTERA DETERIUS.

I. Quia spiritus melioribus, eligunt deteriora. — II. Quia mercedem eligunt ante laborem. — III. Quia pro modica dulcedine eligunt sibi dolores incomparabiles. — IV. Quia pro brevissima delectatione emunt æternos cruciatus. — V. Quia sobrii et intelligentes de summa felicitate ad summam miseriam se præcipitant.

## THEMA.

*Omnis homo primum bonum vinum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Jo. II.*

Sapientissimus ille rex Salomon, Prov. XXIII. sapientissimum nobis dat consilium: *Cum sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ posita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo*. Princeps iste Deus est, qui mensam nobis in hac vita præparavit opiparam, et variis ciborum generibus, additis etiam cupediis et deliciis, quia omnia propter nos et in usum nostrum creavit, interim tamen observat nos, quomodo in hac mensa conversemur, quanto moderamine, qua discretione ea fruamur, num potius voluptatem, an honestatem, cum nostra salute et Dei gloria quæramus. Atque hic est culter statuendus in nostro gutture, discretio videlicet et prudentia, qua attendamus, qua ratione fruamur bonis istis. Si enim involemus in prima statim, et quæ videntur optima præsentis vitæ fercula et vina, tum ad finem mensæ, et initium alterius vitæ apponetur id, quod deterius est. Sin autem parce et moderate illis utamur, tunc depromet Christus symposiarcha noster vinum illud bonum, quod eo usque servavit. Statuendus ergo culter est, non in quadra, sed in gula, ut ei præscindat et prohibeat prava mundi fercula et carnis oblectamenta. At vero quid contigit? Plerique mortales involant in præsentia hæc et vilissima bona, non expectantes futura. Id quod architriclinus indicat, cum ait: *Omnis homo primum bonum vinum ponit*. Sed quid ad finem? *Tunc id quod deterius est*. Contrarium nos Christus docet, ipsa Dei sapientia, qui ad finem convivii suum illud vinum omnium nobilissimum deprompsit? Ut nos doceret statuere cultrum in gula, et differre appetitum nostrum usque ad alteram vitam. Insanit ergo mundus ejusque sectatores, dum præsentia eligunt, futura vero in postremis habent: quod hic ostendemus.

I. Quia eligunt hic meliora deliciarum vina spiritibus quæ in altero sæculo sequuntur, longe

quod plantæ, quæ in terra natæ fuerint. Illæ siquidem ubi cæli nimis imbris irrigatæ sunt, nullo se pacto possunt erigere, neque auris persflantur. Verum ubi quantum sufficit, biberunt, et recte feliciter surgunt. Sic nos etiam sumus affecti. Nam si potum frequentiore hauriamus, statim et mens et corpora nostra ab æquitate declinant, ac ne respirare, nedum dicere quidquam possumus. Quod si nobis pueri in minora pocula irroraverint, si vino non coacti ebri fieri, verum leviter commoti, in comitatem lætitiæque convertimur. » Idem insinuat Psal. CV. cum dicitur vinum creatum, *ut lætificet cor hominis*. In Heb. XI. habetur: *Cor enos, hoc est, cor afflicti et mæsti*.

Hoc sensu facile mihi persuadeo lætificasse vinum in hodiernis nuptiis non modo homines, sed etiam Christum; quia non dubito bibisse omnes cum moderamine et hilaritate. At vero quando ad ebrietatem usque bibitur, quando grandioribus poculis certatur, quando bibendi finis non est, jam hominem non lætificat, sed mæstificat, morbificat, mortificat. Nam primo, nonne molestia est bibere cum non sitias, imo abhorreas? Deinde, nonne hinc capitis gravedines, ventriculi cruditates, nervorum contradictiones, podagra, morbi, plurimæque ociissimæ mortes? Nonne hinc peccata plurima, pœnitentiæ, luctu pœnitentiæ expianda? Nonne ebrietas ipsa culpa luctifica et lethifera est? Lætificet igitur nos et Deum, non luctu tristitiæque afficiat. Nemo invitus, plus æquo bibat, aut propinet alteri, aut necessario propinandum putet, nec ad temulentiam usque compotet.

Denique, vel maxime Deum lætificat, quando una cum moderamine adjungitur Dei laus et gratiarum actio. Hinc Hebræi, in tract. Beracoth, c. VI. hanc tradunt causam, cur vino lætetur Deus, quia ad vini potum debent homines Deum laudare, ita ut ibidem dicat R. Jonathan hæreticos esse, qui non dicunt *schirach* seu psalmum *laïam*, id est, super vino.

Non dubito convivas his nuptiis una cum architriclino laudasse Christum, pro tam bono vino, sibi propinato, idque Christo gaudium cordis fuisse, sicut e contra, cum Dei dona sine Dei commemoratione ac laude quasi pecudes absumimus, dolorem ei creamus. Quisquis ergo vino Deum lætificare cupit, hæc, quæ diximus, observet: *Ut et qui seminat simul gaudet, et qui metit*, Joan. IV.